

5+6/2000

IDIBVS DECEMBRIBVS MM

VARIVS
R MOR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
R MOR VARIVS
A D T T

TOMVS 23

FASC. 136

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur:

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia sFr. 27.--
In ceteris Europae terris sFr. 32.--
In terris trans marisa sitis US\$ 30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udairicus Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET:www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA TVRICENSI, bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 300

Abonnementspreise (jährlich):

Schweiz sFr. 27.--
Europa sFr. 32.--
Übersee US\$ 30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:
ChristineMeier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET:www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Bankverbindung:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Tandem huius anni, huius saeculi, huius millennii ultimum fasciculum RUMORIS VARIII manibus tenetis! Quo in libello vos multa legendo digna inventuros esse speramus. Valde gaudemus plures symbolas ad argumentum, quod proposueramus, nobis missas esse! Maximas gratias vobis agimus, qui de amicitia scripseritis et ita lectionem RUMORIS VARIII vere variam et iucundam omnibus legentibus feceritis!

Praeterea percontationem Stellae Gittae cum Clemente Dessessard de celeberrimo scriptore et aëronauta Antonio a Sancto Exuperio, cuius dies natalis centesimus hoc anno celebratus est, legere poteritis.

Omnibus aenigmatum solvendorum cupidis hoc in libello anigma minore spatio quam illud libelli 3/2000 paratum est, quod facilius solvendum fore speramus.

Haec et alia, quae hic fasciculus praebet, vobis legentibus gaudio magno sint!

Millennio tertio ineunte pauca Horatii poetae et Senecae philosophi proponam:

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
temptaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati.
Seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum: sapias, vina liques et spatio brevi
spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
aetas: carpe diem quam minimum credula postero.

(Q. Horatius Flaccus, Carmina I, 11)

'Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas conplectere; sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur vita transcurrit. Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est.'

(L. Annaeus Seneca, Ep. 1)

Consiliis sive Horatii poetae sive Senecae philosophi sive aliis utamini: Utique annus novus vobis sit faustus felix fortunatus!

Valete!

Daniel Weissmann

De amicitia

Plausum damus amicitiae

In mundo nostro instabili amicitiam virium fontem constantissimum esse credo. Melior enim esse videtur corporis voluptate, potestate, divitiis. Apud veteres Graecos maiore auctoritate erat quam amor flagrans gloriae. Primus locus ei erat in amoris Pantheo.

Amicitia sive philia (φιλία) amor fraternus haberi potest. Inter eos exstat, qui in aequo sunt. Tranquilla est hominesque cautos reddit. Non petit sensuum tempestatem invidiamque ignorat. Fortissimam autem se praebet impetibusque temporis resistere potest.

Nec in facie pulchra nec in divitiis alterius invenitur. Est vox interna, quae dicit: "Ego te diligo, tu me diligis. Ergo amici sumus."

Vitam iucundam sine voluptatum abundantia agere potes. Scis autem vitam sine amicis ferendam non esse. Amicitia hodie in numero generum eorum ducitur, quae rarissima sunt. Non existere potest inter homines nimis negotiosos vel inter se aemulantes. Longum tempus crescendi amicitiae opus est. Diuturna vero videtur. Initio amicitiae semen spargendum est, sementi facta semper colenda, stirpitisque numquam extrahenda est. Multis in rebus vir solum a viro, femina solum a femina intellegi possunt. Itaque amicitia hominum eiusdem generis saepe firmissima habetur. Magnam temporis partem cum collegis, hospitibus alienis terimus. Vita in re publica acta id exigit. Larvas induimus et partes ab aliis expectatas agimus. Sumus magistri, agricolae, mercatores, mendici...

Apud amicos autem partes agere necesse non est. Ea, quae sentimus, prae nos ferre possumus. Natura propria deponenda non est. Itaque ami-

icitiam vero antidotum optimum habeo contra abalienationem inevitabilem, quam vita in publico acta invenimus.

Barbara Maier

Decem de amicitia sententiae

Absente amico, quae in eo plurimi aestimamus, plurimum elucet.

(Kahlil Gibran)

*

Amicitia est unus animus in duobus corporibus.

(Aristoteles)

*

Amicus vitis carentem qui quaesiverit, amico carebit.

(Proverbium Turcicum)

*

Amicus est, qui penitus te novit ac nihilo minus diligit.

(Elbert Hubbard)

*

Comitante amico nulla via longa est.

(Proverbium laponicum)

*

Dormiente amicitia vigilat invidia.

(Proverbium Francogallicum)

*

In veteribus amicis dulcissimum est, quod te imprudentem esse patiuntur.

(Ralph Waldo Emerson)

*

Praestat unum amicissimum quam omnem gloriam mundanam habere.

(Voltaire)

*

Pro amico moriendum, pro inimico vivendum est.

(Proverbium Turcicum)

*

Vulnus ab amico inflictum sanari non potest.

(*Proverbium Africanum*)

Latine reddidit: Ericus Palmén

Nonnulla amicitiae praecepta ex Plinii Iunioris epistulis deprompta

Quanti quidem amicitiam Iunior Plinius existimaverit, mira evidentia in privatis ac publicis apparet epistulis: quin et ex iisdem operibus nonnulla depromi possunt praecepta, quae undeviginti fere saeculis exactis etiam nunc sequenda videantur.

Est amicitiae ab amico sincero patienter corrigi atque emendari: nam Tacitus scripta sua, ante quam in vulgus ederentur, Plinii iudicio ac probationi libenter subiciebat; Plinii item opuscula eadem a Tacito ratione recensebantur (VII, 20).

Est amicitiae amicum amico verbis ad persuadendum aptis commendare, ut prior, ab altero vel per alterum, quod impensius exoptat, id prompte impetret: nam Plinius Baebium Hispanum rogavit, ut agellus iusto pretio Suetonio veniret (I, 24).

Est amicitiae amicos vita defunctos scriptis funebribus laudationibus commemorare atque honorare: nam in epistula ad Cornelium Crispum missa Martialis obitum convenienter Plinius efficaciterque deflevit (111, 21).

Est amicitiae exempla nequaquam imitanda amicis offerre, ut contraria agendi ratione in consimili tempestate utantur: nam merita vituperationis nota avarum quendam in epistula ad Iunium Avitum Plinius affecit, qui convivas in tria distribuere dispertireque genera consueverat, ut viliora vina cibariaque humillimis subministrari iuberet (II, 6).

Est amicitiae amicum in epistulis scribendis tardum neglegentemque instanter hortari, ut aliquid litterularum vel invitus det tabellario, ne anxifera sollicitudo ex ipso exoriatur silentio diutino: hoc tenore Fabium Iustum benigne Plinius comiterque admonuit, a quo iam dudum nihil epistoliorum acceperat (I, 11).

Est amicitiae amicum adiuvere et si maritus nepti, vel eloquentiae professor nepotibus sit exquirendus ac seligendus: nam prius officium Maurico Plinius praestitit, alterum eidem familiari se quam libentissime atque alacerrime praestaturum esse promisit (I, 14; 11, 18).

Est amicitiae amicos oblectare atque exhilarare, publicae, si res ferat, irrisioni inficetum hominem exhibendo, qui merito iis, qui aderant, ludibrio in quadam tempestate exstiterit: nam risum Voconio Romano Plinius movit lepida festivitate enarrando, quam insulse atque ineleganter lavolentus Priscus se gessisset, dum Passenus Paulus versus suos recitat elegiacos (VI, 15).

Est amicitiae denique plena cum amicis paritate agere, etiamsi superior cum inferioribus, cum subiectis princeps conversetur: hoc enim in Pannegyrice (cap. 85) laudi gloriaeque Traiano imperatori tribuitur, quod de summae potestatis fastigio ad simplicem sinceramque haud erubuit cum intimis descendere familiaritatem.

Orestes Carbonero

Quis sit vere amicus

Anno 1106 scripsit Petrus ALFONSI, olim Rabbi Moise Sephardi nomine, librum c. t. est "Disciplina clericalis", et ex quo vobis excerpsit Stella GITTA hanc fabellam.

Arabs moriturus vocato filio suo dixit: "Dic, fili, quot tibi, tum vixi, adquisieris amicos!" Respondens filius dixit: "Centum, ut arbitror, mihi adquisivi amicos." Dixit pater: "Philosophus dicit: *Ne laudes amicum, donec probaveris eum*. Ego quidem prior natus sum et unius dimidietatem vix mihi adquisivi. Tu ergo centum quomodo tibi adquisisti? Vade igitur probare omnes, ut cognoscas, si quis omnium tibi perfectus erit amicus!" Dixit filius: "Quomodo probare consulis?" Dixit pater: "Vitulum interfectum et frustatim comminutum in sacco reponere, ita ut saccus forinsecus sanguine infectus sit. Et cum ad amicum veneris, dic ei: *Hominem, care mi, forte interfeci; rogo te, ut eum secreto sepelias; nemo enim te suspectum habebit, sicque me salvare poteris.*"

Fecit filius, sicut pater imperavit. Primus autem amicus, ad quem venit, dixit ei: "Fer tecum mortuum super collum tuum! Sicut fecisti malum, patere satisfactionem! In domum meam non intrabis!" Cum autem per singulos sic fecisset, eodem responso ei omnes responderunt.

Ad patrem ergo rediens nuntiavit, quae fecerat. Dixit pater: "Contigit tibi, quod dixit philosophus: *Multi sunt dum numerantur amici, sed in necessitate pauci.* Vade ad dimidium amicum meum, quem habeo, et vide, quid dicat tibi!"

Venit et, sicut aliis dixerat, huic ait. Qui dixit: "Intra domum! Non est hoc secretum, quod vicinis debeat proparari." Emissa ergo uxore cum omni familia sua sepulturam fodit. Cum autem ille omnia parata videret, rem, prout erat, disseruit gratias agens. Deinde patri rettulit, quae fecerat. Pater vero ait: "Pro tali amico dicit philosophus: *Hic est vere amicus, qui te adivat, cum seculum tibi deficit.*"

Stella Gitta

Quis sit amicus perfectus

In fabella a Stella Gitta narrata supra legistis de illo Arabe, qui filio suo exposuit, quis sit vere amicus. Sed filii cupiditas cognoscendi nondum satiata erat. Ecce reliquam illius fabellae partem:

Tum filius patrem interrogavit: "Novistine hominem, qui amicum perfectum invenit?" Pater respondit: "Eum ipse non novi, sed de eo audivi." Filius petivit: "Narra mihi, quaeso, de illo; forsitan ego quoque aliquando talem hominem inveniam."

Tunc pater narrare coepit: "De duobus mercatoribus mihi narraverunt, quorum alter in Aegypto habitabat, alter Bagdati (Bagdad). Alter alterum fama et auditione tantum noverat. De negotiis necessariis per nuntios commercium habebant.

Aliquando autem ille, qui Bagdati habitabat, iter negotiale faciens in Aegyptum se contulit. Aegyptius de adventu eius certior factus ei occurrit et libentissime eum hospitem in domum suam recepit. Per octo dies eum omnibus rebus adiuvit - ut inter amicos decet - et ei omnia genera musicae praebuit, quae in domo sua exercenda curabat. Post octo dies autem hospes morbo affectus est. Dominus magna sollicitudine amici captus est.

Omnes medicos Aegyptios arcessivit, ut hospitis cari explorationem medicam facerent. Medici venas temptabant, iterum iterumque urinam explorabant, sed morbi causam cognoscere non potuerunt. Et quia nullum malum corporis reperire potuerunt, putaverunt amorem causam morbi esse.

Dominus postquam de ea re certior factus est, ad amicum iit et eum interrogavit, num in sua domo femina esset, quam amaret. Tum aegrotus: 'Ostende mihi', ait, 'omnes feminas domus tuae, et si inter eas causam morbi mei cognovero, tibi nuntiabo.'

Aegyptius cum id audivisset, amico omnes cantatrices et ancillas ostendit, sed nulla earum illi placuit. Tum omnes filias produxit, sed eas quoque amicus repudiavit. Erat autem in domo virgo nobili genere orta, quam dominus iam diu in variis scientiis erudiendam curabat, ut eam postea in matrimonium duceret. Eam quoque amico ostendit. Vixdum aegrotus virginem conspexerat, cum dixit: 'Haec est, quae mihi morti et vitae est.'

Dominus cum id cerneret, amico et virginem nobilem uxorem dedit et simul totam dotem adiecit, quam ipse cum ea accepisset. Praeterea ei omnia donavit, quae virgini, si eam in matrimonium duxisset, paravisset.

Quae cum facta essent, amicus et virginem et omnia bona cepit, sua negotia confecit et Bagdatum revertit.

Postea autem accidit, ut Aegyptius variis de causis omnes opes suas amisit et ad summam egestatem redactus est. Tum constituit Bagdatum ad amicum, quem ibi habitare non ignorabat, ire, ut ab eo auxilium peteret. Nudus et esuriens profectus est et importuno tempore media nocte Bagdatum advenit. Reformidavit domum amici petere et fores pulsare, quod timebat, ne illa hora non agnosceretur et repelleretur. Itaque meschitam¹ antiquam intravit, ut ibi pernoctaret. Sed dum rebus afflictus ibi stat et multa considerat, prope meschitam oppidi duo viri ei occurrerunt, quorum alter comitem suum occidit et fugit. Magno tumultu orto multi cives e domibus suis concurrerunt et occisum invenerunt. Interfectorem inquirentes meschitam intraverunt existimantes se eum ibi inventuros. Sed Aegyptio tantum occurrerunt et ex eo quaesiverunt, quis illum virum occidisset. Ille respondit: 'Ego eum occidi.' Nam subito vehemens desiderium miseriae suae morte finem faciendi eum invaserat. Itaque captatus et in in carcerem iactatus est. Postridie in iudicium deductus, capite damnatus, ad patibulum² tractus est.

Ut mos est multi homines convenerunt, inter eos etiam amicus, cuius causa Aegyptius Bagdatum venerat. Hic, cum illum bene spectaret, amicum agnovit, apud quem in Aegypto fuerat. Omnia beneficia, quae ab eo in Aegypto acceperat, in memoria tenebat, et consideravit se illi mortuo ea remunerari non posse, et decrevit, pro amico mori. Itaque magna voce clamavit: 'Cur innocentem damnatis et ad patibulum trahitis? Ille mortem non meruit – ego interfector sum!' Statim eum captaverunt et vinctus ad patibulum traxerunt. Alteri autem poenam remiserunt.

In multitudine autem hominum etiam interfector verus erat, omnia vidit et secum locutus est: 'Ego interfector sum, sed ille damnatus est. Innocens est et ad patibulum ducitur; ego autem nocens et liber sum. Quae est causa talis iniuriae? Tantum indulgentia Dei esse potest. Sed Deus est iudex iustus neque ullum crimen impunitum sinit. Nolim ab eo poenam graviolem pati, itaque apud iudices crimen meum confiteor. Sic et ei vitam servare et mei sceleris poenas pendere possum.' Animose periculo mortis se obtulit et clamavit: 'Ego, ego interfector sum! Dimittite illum innocentem!' Iudices autem valde mirati iusserunt eum vinci et alium in libertatem restituerunt. Incerti quidem haerebant et in angustias venerunt. Postremo hunc virum cum aliis duobus, quos dimiserant, ad regem duxerunt et omnia ei enarraverunt. Etiam rex dubius erat, quid esset faciendum. Communiter deliberaverunt; tandem rex tres viros accusatione absolvit ea condicione, ut sibi narrarent, quibus de causis alii alios sic culparent.

Tres viri regi verum narraverunt, ex quo omnibus sententiis absoluti sunt. Vir Bagdatensis, qui pro amico suo mortem suscipere voluerat, eum in domum suam prosecutus est et omnibus honoribus hospitem recepit et ei dixit: 'Si tibi placet hic manere, omnia - ut decet - communia possidere volumus. Sin domum reverti mavis, omnes opes meos tecum dividere volo.' Aegyptius autem magno desiderio patriae commotus est. Itaque ab amico dimidium omnium opum accepit et domum revertit."

Narratione finita filius patri dixit: "Talem amicum vix inveniri posse opinor."

Rettulit Daniel Weissmann

1) meschita,-ae f Moschee/mosquée/moschea/mezquita/mosque

2) patibulum,-i n Galgen/gibbet/patibolo/patibulo/gibbet

De sordida falsorum amicorum illiberalitate apud Martialem

Id Martialis inter bonum sodalem et malum heredipetam interesse arbitrat, quod prior amicis quidem indigentibus opes suas libenter largitur, alter autem senibus prole carentibus vel mulieribus marito orbatis dona dat, ut centuplicem postmodo mercedem ipse accipiat: cui turpissimo veteratorum gregi ascribendus procul dubio est Gargilianus ille (IV, 56), cuius munera insidias potius redoleant quam liberalitatem.

Poeta vero saepe queritur quod vilioribus, immo contumeliosis, donatus sit reculis, adeo, ut de ludificatione agi videatur magis quam de munificentia.

Ex istis amicitiae simulatoribus mentio imprimis Pauli illius facienda est (VIII, 33), qui auream phialam tam subtilem tenuemque muneri Martiali miserat, ut rectius absque dubio atque urbanus se gesturus fuerit, si nihil prorsus dedisset.

Consimilem meruit vituperationem ac reprehensionem Lupus quidam (XI, 18), qui praedium sese Martiali muneratum esse superbe immodesteque gloriabatur. Erat autem solum illud tam exile ac macrum, ut vix uni bestiolae - quales sunt urucae, vel talpae, vel mures - sustentandae re vera sufficeret. Litteram igitur unam - at magni quidem momenti - in vocabulo, quo speciosum designabatur munusculum, Lupo mutandam fuisse iocosis poeta reclamavit argutiis, ut praedium in prandium converteretur: sic semel saltem, ast opipare, Martialem ipsum epulari valuisse.

Praecipua vero castigatione dignus Gaius ille est iudicandus (II, 30), qui, ut viginti commodaret sestertia a Martiale rogatus, quamvis pecuniis fortunisque difflueret, commodatione sordide denegata haud contentus, poetae contumaci arrogantia suaserat, ut causidicus fieret, quo pinguiora lucra faceret: quasi consilium epigrammatarius ab ipso petivisset, non aes mutuum.

Vel ridiculiores autem salsioresque mordacitatis aculeos in Crispum illum (X, 15) poeta noster vibravit, qui ab ullo sese Martialis amico munifica superari posse liberalitate negabat. At praeclarus epigrammatista nullo alio indicio istiusmodi necessitudinem testatam esse obicit neque argumento, nisi rustica impudentique coram sodalibus pedendi consuetudine:

qua artae familiaritatis ostentatione nullum est dubium, quin libenti animo poeta cariturus fuerit.

Videatur sane ista amicitiae notio apud Martialem nimis angusta fuisse atque ad utilitatem tantum spectans: nemo autem negaverit sordidissimis speciosae familiaritatis simulatoribus personam, ut vulgo dicitur, lepida eademque spinosa cavillatione Martialem detraxisse.

Orestes Carbonero

Cur laudanda sit amicitia

"Me non potuisse amando te ad vitam amandam inducere! A! tu crudelis, a me digrederis! At saltem oculos aperi ac vide quantis doloribus ego flagrans amore adficiar", puella ait. At ille ardentem puellae alterae: "Quomodo de me existimas? Ego quidem me amore tui flagrare confessus sum: tu autem quomodo hunc amorem accipis?" Ista vero: "Quid vis interroganti respondeam? Nam quid sit amor nescio nec quidquam mihi in opinione est nisi te optimum esse virum, me autem maximam tibi habere gratiam neque unquam oblituram esse, quod beneficium in me tali in casu contuleris". Iuveni roganti, cur Lugdunum veniret ac num quos notos ibi haberet, sine ambagibus respondit se in eam urbem a parentibus mitti, ut sanctimonialis fieret. Amare neque amari acerbissimum; acerbum autem ardentem amari nec iam amare. Nam diuturnae consuetudines in intimo corde adeo penitus haerent, ut, nobis inscientibus pars vitae nostrae fiant. Unde fit, ut procul tranquillo animo earum rumpendarum consilium capiamus credamusque nos moras aegre ferre, tempore autem adveniente terroris pleni simus.

Qua de causa homo vere sapiens, postquam omnium animi cupiditatum compos factus est, unam sibi paravit, quae pro ceteris ei est, neque eam unquam vult deponere. Contendit enim amicitiam apud se permulto magis valere quam apud ceteros amorem, eique persuasum est nullum amantem amicam tantum amare quantum ipsum amicos. Audacter etiam proponit amorem pessimum esse animi motum, qui paene inter puerorum ludos numerandus sit, quique, ut primum adoleverit prudentia, sit relinquendus; amicitiam contra perfectissimam esse adfectionem, quae et virtuti et prudentiae pariter congruat, quamque per totam vitam retinere

debeamus. Ita, quod pro certo habet ille perfectissimam esse amicitiam, amicus est quo nunquam fervidior alter perfectiorque fuit.

Rettulit Stella GITTA

Amicitia epigrammaton fons atque origo

Vitam sine amicis agenda iniucundo itineri comparanda esse arbitror, quod per vastam et inamoenam solitudinem caeli gravitate oppressus conficere cogaris.

Praeter vero cetera amicitiae bona, quae complures iam philosophi ac poetae aptissime illustraverunt, hoc quoque mihi haud parvi esse momenti videtur, quod pervariae familiaritatis necessitates sopitam interdum in versificatoribus Musam expergefacerent valent.

Saepe enim mihi accidit, ut amicis, sive dolentibus sive gaudentibus, consolatoria aut gratulatoria epigrammata dicere auderem:

Quorum nonnulla 'Rumoris Varii' lectoribus offerre hic placet specimina.

Hisce versibus praeclarae diurnariae, et naturae decore et linguae mobilitate praestantis, filiolum in lucem editam salutavi:

Sis utinam exemplar matris, modo nata puella,
et magnas dotes eius item referas:
in te ei contingat tamquam in speculo revidere
omnia, quae quondam di tribuere bona !

Hoc carmine iocoso nuptias pro parte mea decoravi, quibus iuncti sunt Antonius, chirurgicae medicinae peritus, et Martia, praevalida medicamentorum confectrix venditrixque:

Coniugium felix faustum dent numina vobis;
at mihi nunc liceat ludere nominibus.
Bellipotens¹ uxor, sancto² laetare marito:
nullos tam proprie vota Latina decent!

Edule dono, quo octogenarii natalem sodalis diem celebrare visum erat, tetrastichon peropportune addidi:

Crustula cum comedes dulcissima, dulcis amice,

in mentem veniet comis amicitiae.
Integra complures annos utinam ista senecta
viribus immaneat corporis atque animi!

Quondam vero minor natu amicus, qui Latinarum me Graecarumque literarum usus erat in lyceo magistro, iurisprudentiae studiis apud Mediolanensem universitatem rite prospereque perfectis, cum ad cenam invitatus esset, quam ea ratione academicus ipsius professor apparandam curaverat, ut antiquos Romanos imitaretur ac simul quinquaginta se annos natum digne sollempnizaret, auxilium a me petere non dubitavit; et brevius carmen, quod eiusmodi oblata occasione pepigeram, gratissimum et munusculis illustri cathedrario exstitisse haud sine intimo gaudio postilla cognovi:

Iam fluxere decem tibi lustra, perite magister
iuris Romani cultor ubique valens;
tam bene concocta est doctrina diu meditata,
ut vel convivans Romulides fieres!

Nonnulli sunt autem versus, quos composuisse equidem nollem, imprimis cum familiares recenti oratione maesti sunt consolandi. Octo abhinc fere menses discipula mea duodevicesimum annum agens (alumnos enim pro dilectissimis consuevi habere amicos) vicenarium sponsum (qui et ille humanitatis me usus erat magistro) viario in aeternum amisit infortunio. Ad puellam, quam superfuisse pigebat, aliqua saltem ex parte sublevandam, hoc exaravi epigramma:

Non quot quisque sua vita compleverit annos
refert, sed quot sit laetitiis fruitus.
Se vixisse satis iuvenis reputabit, amorem
cui dignata dare est mira puella suum.

Si sinceris quidem amicitii oblectamur ac refovemur, simulatis auctem ac temporariis imo pectore iure offendimur. Nec vero istiusmodi in uniuscuiusque nostrum vita peramarae defuerunt deceptiones.

Dicunt amicum verum in necessitate potissime recognosci: at in utrius, cetera, necessitate?

Nescio qua olim sordida ludificatione contristatus, hosce scripsi versiculos, quos breviori dissertatiunculae clausulae apponere loco constitui:

Si quis comprimitur necessitate³,
tum veros perhibent probari amicos.
Nam cum desinit indigere quisque,
mox hic deserit impudens amicum.

- 1) Martius, a, um: id est, Martis proprius, ad Martem pertinens cfr. legio Martia.
- 2) Antonius nomen fuit non tantum claro oratori et clariori triumviro, verum etiam duobus Catholicae Ecclesiae sanctis, Aegyptio priori, alteri qui Patavinus vulgo dicitur.
- 3) Hic, ut par est, a distichis elegiacis ad hendecasyllabos phalaeceos defecimus: quod haud raro et apud Martialem, excellentissimum epigrammatarium, invenitur.

Orestes Carbonero

De amicitia

Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis (Evangelium secundum Iohannem, capitulum 15, versus 13^{US}). Iesus, qui haec verba discipulis suis dixit, cum cenam ultimam cum eis sumeret, die proximo profecto vitam suam pro amicis tradidit. Inter amicos enim omnes homines numerabat, nam, ut homines redimeret, de caelo in terram descenderat. Crucifixus hominibus omnium generum et omnium temporum salutem paravit, qua, quisquis voluerit, facile nascetur, si leges divinas observabit et peccatorum commissorum eum paenitebit.

Abhinc, sed etiam iam antea, semper erant, qui vitam pro amicis dederunt. Ita agentes amicitiam veram praestiterunt. Exempla pauca hic paucis afferam:

Carmine notissimo, quod inscribitur Vadimonium, Fridericus Schiller amicitiam firmam inter duos viros describit: Moerus propterea, quod Dionysium tyrannum Syracusanum (430-367 a. Chr. n.) interficere conatus est, ab ipso tyranno capitis damnatus spatium trium dierum sibi expetit, ut hoc tempore sororis nuptias participet. Nisi his diebus praeteritis ad

regem redierit, amicus pro Moero moriatur. Multi homines hac occasione abutentes numquam rediissent, Moerus vero omnes vires intendit, ut redeat. Neque inundatione neque latronibus neque siti ingenti impeditur, quin tempore dicto in curia regis adsit. Tanta amicitia commotus tyrannus et Moero et amico vitam reddit.

Theodorus Fontane, alius poëta Germanus praeclarus, aliud amicitiae firmæ exemplum carmine describit, quod inscribitur Ioannes (John) Maynard. Ioannes ille Maynard gubernator erat navis cuiusdam in Lacu Eriensi in America septentrionali navigans. Die quodam incendium in ea ipsa nave, cui nomen Hirundo, exarsit. Etsi fumo et flammis circumdabatur, Ioannes Maynard gubernaculum navis manibus tenuit, donec navis litus attigit. Homines omnes servati sunt praeter unum Ioannem Maynard ipsum, qui vitam suam dederat, ut ceteri salvarentur.

Saeculo autem vicesimo p.Chr.n. vir quidam pater Franciscanus nomine Maximilianus Kolbe innotuit propterea, quod vitam pro alio dedit. A regimine Hitleriano non modo Iudaei cruciabantur, sed quicumque contra istum regimen crudelissimum aliquid dicere vel agere audebant. Adolphum Hitlerum quasi deum adorantes socialistae nationales, qui dicuntur, etiam fidem Christianam aegre tolerabant atque multos Christianos castris concentratoriis includebant vel interficiebant. Inter quos erat Maximilianus Kolbe Polonus atque membrum ordinis sancti Francisci. Die quodam mensis Sextilis (sive Augusti) anno 1941° captivus e castris concentratoriis Auschwitziensibus effugit. Tunc illis castris praepositus decem viros capitis damnavit: eos omnes in arenaria* famis perire decrevit. Magna voce lamentans unus ex eis "Pater familias sum!", clamavit. "Quid uxor mea, quid liberi mei facient me defuncto?" Ad quae Maximilianus Kolbe praepositum his verbis affatus est: "Permitte, quaeso, domine praefecte, ut pro illo misero in arenariam famis eam. Ille familiam habet, ego solus sum, ille iuvenis, ego iam ad senectutem vergo." Praefectus, quem adfari captivis nullo modo licebat, conturbatus exclamavit: "Quid porcus iste Polonus mihi vult?" Animo quieto Maximilianus votum repetivit. Immo conturbatior praefectus: "Sed cur, hercle, mori vis?" Tunc Maximilianus: "Sum sacerdos catholicus." Praefectus nihil respondit, sed mutus capitis signo dato adnuit. Sic Maximilianus Kolbe in arenariam famis ductus est, ubi captivis neque cibus neque aqua praebebatur. Attamen Maximiliano duce arenaria insidentes carmina cecinerunt, donec

morte consumerentur. Is ipse non fame periit, sed duabus septimanis post a medico quodam veneno interfectus est. Anno 1982° a Ioanne Paulo papa secundo (idemque Polono!) canonizatus est praesente viro illo, pro quo olim vitam dederat.

Quid est amicitia? His tribus exemplis vera amicitia demonstrata est.

*arenaria, -ae f = Bunker

Martin Meier

De amicitiae officii

Veteres Romani amicitiam officium esse existimabant. Ut exemplum afferam, vobis fabulam hanc narro:

M. Antonius triumvir eos, qui partes Bruti Cassique secuti erant, crudeliter persecutus est. M. Lucillum quoque interfici iussit. Tum Titus Volumnius, Luculli familiaris apud Luculli corpus manebat et amici necem flebat, cum ei fugere liceret. Milites Antonii Volumnium semper lamentantem viderunt et ad Antonium pertraxerunt. Volumnius, cum ante oculos Antonii staret: "Dum amicus meus", inquit, "vixit, eum numquam deserui. Ei semper fidem servabo. Iube, quaeso, me statim ad amicum mortuum perducere et occidere."

Antonius Volumnii fidem erga amicum minimi aestimabat, nam animo duro erat. Volumnius ductus est, quo voluerat, et cervicem suam libenter gladio victoris dedit.

Barbara Maier

Veritatem non semper gratam esse

Petrum nihil magis delectabat quam recte scribendi gloria; quem cum Paulus clamatorem esse dixisset: "Nihil agit," inquit; "hoc nemini unquam persuadebit; sciunt enim omnes quam arcte argumenta astringere, quam distincte simul et breviter scribere soleam." Et Petrus: "Sententiam tuam," inquit, "interpretari possum. Fatere tibi mentem meam deminui videri. Ergo aperte loquere; nonne credis mihi iam nunc otium prospicien-

dum esse?" At Paulus: "Tam impudens non fuissem, ut tecum apertissime loquerer, nisi tu iussisses. Oboedientem tantum me praebui teque demississime obsecro, ne mihi audaci succenseas." Petrus festinanter Paulo oblocutus: "Utinam ne," inquit, "audaciam tuam exprobrem. Nam periniquus sim. Mihi minime displicet te sententiam tuam explicare, sed displicet sententia ipsa. Nam me vehementer fefellit te hebeti mente esse." Quanquam perturbatus, voluit tamen Paulus sententiam nonnihil immutare, ut res restitueret. At quomodo placari potest scriptor iratus, quin etiam laudibus adsuetus? "Ne plura, puer," Petrus inquit. "Iunior etiam nunc es, quam ut a falsis vera discernas. Accipe enim me nunquam meliorem composuisse orationem quam eam, cui tibi placere non contingat. Deo iuvante, mens mea nihil adhuc de robore deperdidit. Posthac familiares meos accuratius eligam."

Commiserat Martinus eodem Petro litteras quasdam conficiendas, quas cum postmodum legisset, iussit Martinus illas legendas quoque deferri ad quendam amicum, in quo plurimum confidebat. Ille autem, cum paulo esset in cena concalectus a vino, litteras penitus improbavit et alium in modum componi iussit. Tunc Petrus Marco, qui aderat: "Faciam," inquit, "in litteris meis, quod olim sutor in farsitio, quod appellant, Ludovici vicecomitis egit: cras antequam edat vel bibat, redibo, et litterae bene erunt." Deinde percontanti, quidnam hoc esset, Marco: "Ludovicus vicecomes," inquit Petrus, "erat vir magnus, pinguis et corpulentus. Is cum saepius multo cibo et potu ventrem farsisset, post cenam, cum iret cubitum, vocari ad se sutorem suum iubebat, quem acriter redarguens aiebat fecisse illum sibi farsitium nimis arctum, mandabatque ampliari, ne sibi esset molestum. "Factum erit," aiebat sutor, "ut iubes: cras optime erit." Deinde acceptam vestem proiciebat ad perticam, nihil immutans. Cum dicerent ceteri: "Cur non amplias vestem hanc, quae nimium ventrem domini urget?" hic: "Cras," inquit, "cum dominus post digestionem surrexerit, vestis erit amplissima." Mane portabat farsitium, quo ille induto: "Nunc bene est," dicebat, "nullo in loco me offendit." Eodem modo Petrus epistolam suam digesto vino placituras dixit.

Prospera quaque fortuna quanto altius inter homines gradatim extollimur, tanto longius a veritate arcemur, propterea quod magis fere verentur homines eos offendere, quorum utilior amicitia, gravior invidia est. Irrideatur licet ab omnibus Europae populis praeses aliquis: ipse solus nesciet. Nec miror: nam verum dicere ei, cui dicitur, commodo, iis, qui

dicunt, detrimento est, quia in odium incurrunt; principum autem familiares, ut qui pluris res suas faciant quam eius, quem colunt, principis, non committunt, ut suo detrimento beneficium in eum conferant. Quod in altissimis quidem fortunis et plurimum nocet et saepissime accidit; sed, ne ab infimis quidem abest, quia semper aliquid prodest hominum inire gratias. Itaque in perpetuo mendacio versantur homines. Nam, cum omnes inter se assidue decipiant et adulentur, nec quisquam eadem de nobis loquatur praesentibus atque absentibus, hac mutua fraude vel maxime nititur illa, quae est inter homines communitas. Quin etiam paucae mernerent amicitiae, si ea cognita haberet unusquisque, quae, de se, cum absit, dicat amicus, etsi tunc bona fide integroque animo loquatur.

rettulit Stella GITTA

Donec eris felix, multos numerabis amicos

"Historiam rerum mearum", I. L. Balzaci Vincenti Victuro scripsit, "varie nec ab uno authore conscriptam, pervenisse ad te non miror. Miror tantam, ubi minime decuit, animorum conversionem factam esse, ut qui me ferebat in oculis, et summa putabat dignum gratia, iam ut fulguritum aversetur, propriique ipsum iudicii poenitat. Hic certe, ut de nullius scelere et perfidia quaeror, ita possum multorum studia erga me et officia desiderare. Sola quippe mihi adest conscientia innoxiae vitae, unusque et alter, quem non novi, infirmissimus defensor, solatia magis litis quam virium auxilia. Nam necessariis olim meis, utor quidem non iniquis spectatoribus, sed ne verum dissimulem, spectatoribus tantum, et qui bonae causae potius faveant quam periclitantem amicum iuvent. Hostis interim ventosissimus, tanquam re bene gesta, quotidiana ovatione excipitur a suis, et cum populo placuisse sibi visus sit, nonnullosque collegerit plausus multitudinis imperitae, ingenio putat deberi, quod maledicentiae debetur".

Haec rettulit Stella GITTA excerpta ex epistula, quae scripsit I. L. Balzaci Vincenti Victuro anno MDCXXXIV.

Regulus peregrinando nos docet...

"Est amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensus, qua quidem haud scio an, excepta sapientia, nihil melius homini sit a dis immortalibus datum" (CIC. Lael. 20). Regulus autem a Antonio a Sancto Exuperio fictus cum amicis suis nos docet amicitiam hominibus non esse innatam.


Diurnario facto licet tibi ludendo et responsa Antonii et amicos Reguli invenire; nempe idem pictogramma semper eidem litterae respondet.

amica:

=	x	⊕	⊖
---	---	---	---

amicus:

x	x	⊕	P	⊖	⊕
---	---	---	---	---	---



- 1 Ubi natus es ?
- 2 Quae sunt tibi praenomina secundaria?
Ioannes Baptista Maria
- 3 Adolevisti cum sororibus tribus (Magdalena, Gabriella, Simona) et fratre anno MCMXVII morbo extincto.
Quod est praenomen eius?
- 4 Quod ad organa musica pertinet, non solum clavili uti potes sed etiam
- 5 Primo bello mundano quo in oppido, in pago Aventicensi sito, tempus egisti?
In oppido
- 6 In schola discipulus mediocris fuisti. Examen rigorosum aditus ad Academiam Navalem Francogallicam non superavisti.
Qualem scholam iam mox relictam frequentavisti?
Schola
- 7 Anno MCMXXI in servitium militare convocatus es.
Quo regimento assignatus es?
Regimentum
- 8 Servitio militari feliciter peracto, in servitium introivisti Societatis Petri Latecoerii, quae anno MCMXVIII negotium incepit aerilineae inter Tolosam et
- 9 Societas extendit volatus ad Maruecum et ad Dacariam.
Tu ipse volatus cursus publici via Tolosa — Casablanca — Dacariam suscepisti. A qua urbe etiam "Fanum Sanctae Trinitatis" vocata anno MCMXXIX novas aerilineas cursus publici ad Patagoniam atque Sanctum Iacobum Chiliae instituisti?
A
- 10 Diurnarius fuisti. Quis est titulus primi opusculi tui, quod anno MCMXXVI in vulgus editum est?
- 11 Quod est praenomen uxoris tuae, cui dedicavisti fabulam c. t. est "Cursor meridionalis" ?
- 12 Quod est nomen amici qui scripsit praefationem libri tui qui "Volatus nocturnus" inscribitur?
- 13 Quibus in desertis casus aeroplani tui anno MCMXXXV ansam dedit ad notissimam fabulam Reguli?
In desertis
- 14 Quo anno in Guatimala cum aeroplano cecidisti?
- 15 Quo in loco secundo bello mundano denuo te adiunxisti pristinae cohorti aviatorum ?
In septentrionali

Stella GITTA

- dignorum, non tantum suorum, sed etiam aliorum aëronautarum, quorum peritiam, tenacitatem, fortitudinem in exemplum proposuit.
- R.V.: Qualis homo a te visus est?
- CL.: Optimus! Vir enim fuit omnium rerum technicarum curiosus, simul ac philosophus miro modo perspicax. At maxime mihi placuerunt illius in innumeris periculis superandis simplicitas humilitas humanitas.
- R.V.: Nonne scriptor dicitur fuisse copiosus?
- CL.: Verum copiosior non fuit, sed sobrius: Textus enim suos ita castigare solebat, ut omnibus, quae sibi viderentur inutilia vel dubia vel erronea reiectis, opus suuum initiale usque in dimidiam partem reducere non dubitaret!
- R.V.: Quos scripsit libros?
- CL.: 1929: COURIR SUD *(Nuntius meridionalis)*
 1931: VOL DE NUIT *(Volatus nocturnus)*
 1939: TERRES DES HOMMES *(Terra hominum)*
 1942: PILOTE DE GUERRE *(Gubernator in bello)*
 1943: LE PETIT PRINCE *(Regulus)*
 1949: CITADELLE *(Arx) N.B.: Editio postuma*
- R.V.: Scripsitne Latine?
- CL.: Id nescio. Si verum esset, multum placeret! Attamen unus ex eius libris Gallice scriptis dignus visus est, qui in linguam Latinam converteretur. Hic liber, Gallice vocatus 'LE PETIT PRINCE (1)', in linguam Latinam pertinentissime conversus est, sub titulo 'REGULUS vel PUERI SOLI SAPIUNT' (2), ab egregio professore Augusto Haury, qui olim fortissimus fuit sodalis consociationis c. n. VITA LATINA. Nonne huius libri filiatio sufficit, ut in mente nostra Antonius ille cum Latinitate aliquatenus coniunctum videatur?
- R.V.: Si in Elysiis nos audire potest, miror, quid de sententia tua arbitraretur! Sed primum dic mihi, quibus de rebus in illo libro agatur?

- CL.: Agitur de fictione astronautica: REGULUS enim, puer nobilissimus, sed corde simplicissimus, qui parvulum planetam incolit, ceteras stellas errantes visitat, sapientiam quaerendi vel colendi causa. Nam in unaquaque parva stella, hominis typici adest persona, quae scientiam (aut inscientiam!) suam exhibendo doctrinam quandam, saepe necopinatam, Regulo praebere potest. Illorum hominum personis adsunt nomina quoque typica sicut: REX, GLORIOSUS, POTATOR, NEGOTIATOR etc., at earum indoles laconis vel ridiculis dialogis resumuntur, exempli gratia:
- REGULUS: Quid istic agis?
 POTATOR: Poto...
 REGULUS: Cur potas?
 POTATOR: Ut obliviscar...
 REGULUS: Ut cuius rei obliviscaris?
 POTATOR: Ut me pudere obliviscar...
 REGULUS: Cuius rei te pudet?
 POTATOR: Potare me pudet...
- R.V.: Illius dialogi simplicitas, quae vere puerilis videtur, valde placet, quia gravior est quam primo aspectu crederetur. Potesne philosophiam Exuperianam amplius describere?
- CL.: Rem difficiliorum a me exspectas, quia nec hominem nec philosophum satis novi, ut opinionem certam tibi exponere possem. Melius enim tibi esset in ipsius libris legendis ea, quae scire cupis, directe inquirere. Nonnulla tamen de opinione mea tibi dicere placebit, dum ea insufficientia et incertiora esse bene meminisse velis.
- Tempore enim nostro Sanctus Exuperius philosophus videtur fuisse singularis. Hodiernissimam disciplinam coluit, scilicet artem aëronauticam et, cum de rebus technicis ageretur, omnium novitatum quaerendarum erat cupidus. Sed de eis, quae ad ethicam pertineant, aliter iudicavit, quia virtutes aeternas facilitatibus hodiernis anteponebat et sacrificium singulorum exaltabat, dum bono publico faveret.
- Nostra autem aetate non desunt philosophi – vel etiam scurrae a se ipsis ita vocati –, qui dialectica insidiosa ethicam classicam

destruere malint, verbis vel locutionibus significatione dubiis vitiose utendo. Exempli gratia verbum 'democratia' magnam habet vim seductoriam, sed opinione mea statum designat omnino dubium, quia populus (d^omow: demos) non potest re ipsa et una voce rem publicam imperare (krateŷn: kratein), nisi solum in imaginatione sua. Similia dicenda sunt de locutione 'proletariatus dictatura' quia dubitandum est, quin omnis proletarius, dum 'dictator' creatus sit, proletarii miseram conditionem diu adsumere velit!

Etsi de talibus opinionibus multum sit disputandum, Sancti Exuperii philosophia, vel imperfecta, nihilominus ad veritatem quaerendam bonumque publicum colendum nititur atque ita 'constructiva' esse dici potest.

Quid autem arbitrandum sit de philosophia hodierna, praecipue de illa, quae 'existentialismus' dicitur? Si verbum illud sensu suo etymologico adhibemus, num aliud vitae regimen designare possit quam suae ipsius existentiae cultum, sicut finem supremum erectum? At tunc quousque illa miranda doctrina ducere possit?

Mea quidem sententia in casu optimo nihil melius ex illo personae suae cultu sperandum est quam vaniloquium, haud omnino innocuum. At, in casu pessimo, timendum est, ne e diversarum existentiarum acerbis colendarum conflictu bella oriantur civilia. Nonne illa pseudophilosophia, praecipue si cum 'materialismo' coniungitur, 'destructiva' dici possit, atque ita firmiter refutanda sit?

R.V.: Cum de philosophia agatur, dic mihi utrum aëronaves vitae humanae sint necessariae annon?

CL.: Haec est magna quaestio, quam tantum prudenter tangere debemus!

Si vero omnes homines, imprimis optimates, prudentissimi essent, aëronaves, praecipue vectoriae, minus essent necessariae quam vulgus hodiernus credere solet. Nam modus vectorius, qui mihi optimus videtur, est ambulatio pedestris, maxime si tempus nos non urget! Pedibus tantum vel etiam fortasse equitando, in communionem maxima cum natura circumiecta, mundus ratione

et innocue visitari potest. Si autem tempus urget, tramen, quod regulis (*Gallice et Anglice: rails*) ferreis firmiter regitur, bonam praebet securitatem ac praeterea, si vi electrica trahitur, atmosphaeram minime polluit.

Verum de aëronavis ipsius necessitate, utilitate aut nocivitate imprudenter disputare periculosum est. Primum enim machinae qualitates aut defectus ab humano usu bono aut malo discernere oportet.

Exempli gratia idem aëronavis vectoria non solum homines honestos eo transvehere potest, quo eidem opus bono publico utile effecturi sint, sed etiam homines nefarios ad crimen quoddam quovis perpetrandum. Citissime ducere similiter idem aëronavis esse potest aut inermis aut telis mortiferis instructa, quorum de iusto aut iniusto usu etiam sit disputandum. Sed in omnibus casibus de hominis tantum responsabilitate agitur. Homo enim solus responsabilis esse potest cum bonorum tum malorum facinorum. Machina autem, quae nihil aliud est quam compages, vel intricatissima elementorum liberi arbitrii expertium, ens non est bona aut mala voluntate praeditum, et nullo modo responsabilis esse dici debet.

Casuum aëronauticorum causae et responsabilitates cum technicae tum humanae multiplices sunt et intricatissimae. In omnibus gradibus conceptionis, fabricationis, usus, refectionis et ceterorum inveniendae sunt. At nihilominus aëronavis ventionis modus inter omnes securissimus esse dicitur. Eo enim utendo plura millena chiliometra sine casu percurrere possumus quam ceteris utendo. Sed de necessitate illorum numerosorum chiliometrorum percurrendorum etiam disputare licet!

R.V.: Quid de futuro? Aëronaves volabuntne semper in dies longius, citius, securius?

CL.: Haec est fortasse summi momenti quaestio! Terra enim magna est, sed non infinita, aër industria humana magis in dies polluitur nec petrolei, quo aëronaves propelluntur, copia est infinita. Itaque aëronaves, in dies frequentiores et citiores, nec atmosphaeram sine damno polluere, nec petrolei copias sine fine exhaurire semper poterunt.

Inde fit, ut, si calamitatem oeconomicam, quae nobis minatur, eademque fortasse ante huius vicesimi primi saeculi exitum erumpat, vitare velimus, modos nostros vectorios radicitus mutemus oportet, antequam petroleum subito nos deficiat et planeta nostra terra irreparabiliter polluatur...

R.V.: Num de aëronauticae futuro tunc sit desperandum?

CL.: Numquam est desperandum! Potius oculos aperire sciamus et salvatorias solutiones ratione quaerere. Ne timeamus! Si bella vitare cupimus, imprimis oportet hominibus quam plurimis munera praebere pacifica, id est quae energiam minimam vorent et opera producant minimi ponderis materialis simul ac maximi momenti 'informatici' seu spiritualis. Ex contrario munera, quae vanitatis causa energiam maximam consumunt, sicut exempli gratia autoraedarum certamina, quae et atmosphaeram et mentes polluunt, nullo modo dici possunt pacifica.

R.V.: Nonne aëronaves scientiae progressui favere possunt?

CL.: Sine dubio! Industria enim aëronauticae novas artes genuit vel earum evolutionem stimulavit, scilicet meteorologiam, photographiam aëriam, radiotelegraphiam et telephoniam electronicam et etiam nuperrime informaticam, quae mores nostros funditus mutare iam incipit...

R.V.: Nonne aëronautica litteris etiam favere possit?

CL.: Iam potuit: Photographemata aëria callide inspiciendo, inventae sunt reliquiae Romanae tunc usque ignotae. Ex alto enim vegetationis variationes, quae ruinarum latentium sunt indicia, melius nonnumquam conspiciuntur quam e proxima terrae superficie.

R.V.: Utinam...

Stella Gitta

1) Ed. Gallimard, Paris 1946

2) Ed. Fernand Hazan, Paris 1961

Proverbia Hispanica

Mientras menos quedamos, mejor nos entenderemos.
Eo melius inter nos consentimus, quo pauciores sumus.

*

Vida sin amigo, muerte sin testigo.

Vita sine amico, mors sine teste.

*

Al que tiene mujer hermosa o castillo en frontera o viña en carretera, nunca le falta guerra.

Ei, cui pulchra mulier vel castellum apud fines situm vel vinea prope viam publicam sunt, bellum numquam deest.

*

Dijo el mosquito a la rana: Más vale morir en el vino que vivir en el agua.

Locutus est culex ad ranam: Melius est in vino mori quam in aqua vivere.

*

Cada uno en su negocio sabe más que el otro.

In suo negotio quisque plus scit quam alius.

*

Ninguno es más viejo de lo que parece.

Nemo vetustior est quam videtur.

*

Allá van leyes, donde quieren reyes.

Eo leges eunt, quo reges volunt.

Las apariencias engañan.

Species fallit.

*

Amistad que dice no, amistad que se perdió.

Amicitia, quae negat, amicitia esse desiit.

*

Una desgracia nunca viene sola.

Malum numquam solum venit.

*

La abundancia hace infelices a los ricos.

Abundantia divites infelices reddit.

*

No hay gobierno que perdure, ni mal, que cien años dure.

Neque regnum est, quod semper perdurat, neque malum, quod centum annos durat.

*

Solo se queja el que tiene quien le escucha.

Tantum is queritur, qui aliquem audientem habet.

*

Dando gracias por agravios, negocian los hombres sabios.

Agendo gratias pro contumeliis homines sapientes res gerunt.

Quien no habla, no es oído.

Ille, qui non loquitur, non auditur.

*

Los años son escobas que nos van barriendo hacia la fosa.

Anni sunt scopae, quae nos verrentes sepulcro admovent.

*

Siembra temprano y poda tardío: cogerás pan y vino.

Seme mature et puta tarde: percipies panem et vinum.

*

El miedo abulta las cosas.

Metus res augit.

*

Más pronto se conoce al enemigo que al amigo.

Inimicus prius cognoscitur quam amicus.

*

Vicio por natura, hasta la muerte dura.

Naturale vitium usque ad mortem durat.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
4/2000	89, l. 21 90, l. 23	periamur scriptis	perimamur scriptis

DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN
Theodisce scriptum ("Bahnwärter Thiel") et anno 1997 a
Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

Narrationis pars quinta

V

Lena a Thilo aversa cereo sebaceo lucente thoracium resolvit et gunnas demisit. Subito causae inscia cum se vertisset, conspexit luridam faciem cupiditatibus contortam mariti, qui fere erectus manibus margini lecti impositis eam aspectabat duris oculis ardentibus.

"Thile!" mulier exclamavit et irata et territa, ut idem tamquam somnam

bulus nomine appellatus sopore solutus perturbatus nonnulla verba balbutiret, in pulvinos se reiceret, lodicem auribus obduceret.

Postridie mane Lena prima e lecto surrexit. Sine strepitu omnia praeparavit necessaria ad excursionem faciendam. Parvulus minor impositus est chiramaxio, tum Tobias excitatus et indutus. Qui cum accepisset, quo profecturi essent, subrisit. Postquam omnia parata sunt et cafea prompta posita est in mensa, Thilus somno solutus est. Aspectis omnibus rebus praeparatis primo iniucunde se habuit. Libenter voluit aliquid adnotare, sed nescivit, unde inciperet. Ceterum quas causas afferret, quae comprobarentur a Lena?

Tum paulatim vulticulus magis magisque renidens effectum habuit ad Thilum, ut denique ipsius gaudii causa, quod excursio effectit puero, non iam posset cogitare de contradicendo. Nihilominus Thilus, cum silvam permigraverunt, non mansit quietus. Idem chiramaxium laboriose per harenam propulsabat, iniectis haud paucis floribus a Tobia collectis. Puer perquam hilaris erat. Qui fusco pileolo crispo induto inter filices circumsiliebat, paulum inhabili more studens captare libellulas vitreas alis instructas, quae filices supervolitabant. Ut primum homines casam advenerunt, Lena agrum oculis perlustravit. Sacculum segmentis pomorum terrestrium, quae secum attulerat serenda, in marginem gramineam parvi betulleti iniectit, in genua procumbens harenam paulo obscuram perfundere sivit per digitos duos.

Thilus eam observavit animo suspenso: "*Hem ager, qualis est?*"

"*Angulo Spraviae sane haud peior!*" Inde custodis animus levatus est. Cum timuisset, ne Lena esset non contenta, sedatus scalpsit capillos barbae resectos.

Quadra panis propere comesa mulier panno iaccaque abiectis coepit fodere, machinae celeritate et perseverantia.

Certis spatiis temporis interiectis surrexit magnisque haustibus aerem suspiravit, sed momentis tantum, nisi parvulus erat lactandus, quod festinanter fiebat pectore anhelanti, sudore destillante.

"*Ferrivia est mihi obeunda, Tobiam mecum ducam*" custos ad eam vocavit aliquanto post ex areola ante capannam sita.

"*Nequaquam - gerrae!*" illa reclamavit, "*quis manebit apud parvulum? - Veni huc!*" etiam maiore voce addens, cum custos quasi non iam audiret, abiit cum Tobiolo.

Primo momento temporis Lena deliberavit, num illum currendo seque

retur neque alia causa ab hac re abstinuit nisi iactura temporis evitanda. Thilus cum Tobia ferriviam praeteriit. Parvus haud parum excitatus erat; omnia ei erant nova et aliena. Non intellexit, quid valerent angustae, nigrae orbitae lumine solis calefactae. Non desiit interrogare varia atque insolita. Perquam mirabilis ei videbatur tinnitus malorum telegraphicorum. Thilus autem noverat tonos omnium malorum regionis suae, ut oculis clausis semper sciret, qua in parte ferriviae versaretur.

Manu data Tobiam ducens saepe consistebat in loco, ut auscultarent sonos mirabiles, qui e ligno effluebant tamquam cantus chorales media ex ecclesia. Contus in fine regionis officialis meridionali statutus sonabat concentu perquam pleno et pulchro. Cui conto medio inerat turba tonorum, qui sine pausa tamquam uno spiritu pergebant sonare, et Tobias lignum adesum circumcursabat, ut, sicut sibi videbatur, inveniret effectores concentus tonorum amabilis. Custos affectus est pia quadam animi inclinatione, similiter ac in ecclesia. Praeterea paulatim a ceteris distinxit vocem, qua commonefactus est uxoris mortuae. Animo finxit concentum fieri spirituum beatorum, quibus mulieris quoque vox intermisceretur, qua animi fictione ei effectum est tantum desiderium, tanta commotio animi, ut lacrimaret.

Thilus Tobiae flores seorsim in silvula betullarum natos petenti, sicut semper, concessit. In solo silvulae flosculi caerulei tam mirabiliter condensati erant, ut eodem delapsa esse viderentur fragmenta caeli caerulei. Papillones vexillis versicoloribus similes sine ullo sono volitabant inter stipites candore nitidos circumagitati, cum leni stridore commovebantur betullarum summarum folia viridiola in formam nubium conglobata.

Tobias flores carpens aspectabatur a patre cogitabundo. Interdum postremus etiam oculis sublatis per lacunas foliorum quaerebat caelum, quo tamquam patina gigantea coloris caerulei prorsus immaculata lumen solis aureum receptum erat.

"*Heus pater, estne hic Deus carissimus?*" parvus subito interrogavit digito indicans sciurum fusci coloris, qui stipitem vetustae pinus solitariae advolabat cum sono scalprili.

"*Ah ineptule!*" omnia erant, quae Thilus scivit respondere, cum corticis frustula abscissa de stipite cadebant ante pedes suos.

Mater adhuc fodiebat, cum Thilus atque Tobias reverterunt. Dimidia iam pars agri inversa erat.

Tramina ferriviae unum post aliud sequebantur brevibus spatiis intermissis, et Tobias semper aspectabat ore aperto illa praeterfluentia.

Ipsa mater exhilarata est Tobiae sannis ridiculis.

Prandium, quod constitit e pomis terrestribus et particula assi suilli reliqua, sumptum est in casula custodis. Lena hilaris fuit necnon Thilus videbatur benevole concedere rei inevitabili.

Inter prandium cum uxore collocutus est de rebus variis ad officium suum spectantibus. Verbi gratia ex ea quaesivit, num animo fingere posset uni soli orbitae ferriviariae impositas esse quadraginta sex cochleas, et similia huiusmodi. Ante meridiem Lena fodere desierat; post meridiem poma terrestria erant inserenda. Illa instanter postulavit, ut Tobias nunc custodiret parvulum ipsaque eum secum duceret.

"Attende..." Thilus post eam clamavit subito sollicitus, "attende, ne nimium appropinquet orbitis."

Lena non respondit nisi umeris concussis.

Silesianum tramen rapidum cum esset nuntiatum, Thilo custodia erat observanda. Vix ad cancellos constiterat paratus ad officium, cum iam audivit tramen adveniens fremitu sublato.

Tramine conspecto, appropinquante, vapor innumeris ictibus festinatis raccabat e camino machinae nigro eruptus. En: unus - duo - tres radii vaporis lactei ad perpendicularum protuberaverunt, brevique post sibilus machinae per aerem allatus est. Ter sibilavit, breviter, stridule, anxiose. 'Frenant illi', Thilus cogitavit, 'curnam frenant?' Iterum sibili necessitatis clamose personuerunt aere repercussi, nunc serie longa nec interrupta.

Thilus progressus est, ut ferriviam conspiceret. Vexillum rubrum cum e pera traxisset machinae instar, prae se protendit super orbitis. -

lesu Christe - num ipsum caecumfuisse? lesu Christe - o lesu, lesu, lesu Christe! Quid hoc esset? Ibi, ibi inter orbitas ... "Sta-a!" custos summa cum vi clamavit. Nimis sero. Massa obscura tramini cum succidisset, inter rotas tamquam pila cummea huc illuc agitabatur. Nonnullis momentis temporis post audita est frenorum crepitatio atque quiritatio. Tramen stetit in loco.

Ferrivia, quae solebat esse solitaria, visa est animari. Traminis dux et conductor silices transcurrerunt versus finem tramini. Ex omni fenestra spectabant facies curiosae, et nunc - multitudo conspissata processit in partem anteriorem.

Thilus anhelabat; annixus est, ne collaberetur tamquam taurus occisus. Vere, ei manu significatur -

"Non!"

Aer disploditur clamore e loco infortunii veniente, sequitur ululatus, qualis editur e gutture alicuius bestiae. Quis fuit?! Lena?! Non fuit vox Lenae, tamen ...

Vir propere ascendit orbitam.

"Custos!"

"Quid factumst?"

"Infortunium!" ... Nuntius territus repellitur, nam oculi custodis mirum in modum lucent. Eius pileus positus est obliquus, capilli rufi videntur horrere.

"Adhuc vivit, fortasse servari potest."

Nullum responsum nisi singultus.

"Veni celeriter, celeriter!"

Thilus ingenti cum labore se cogit, ut surgat. Musculi eius laxi tenduntur; surgit facie stolidam et emortuam.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars sexta in proximo libello sequetur!)

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve
in libello 1/2000 RUMORIS VARII publicatum est!

Facete lepideque dicta

In schola magister discipulos interrogat, num sibi dicere valeant, cur hieme structores non laborent. Fridericulus: "Quod frigore nimio lagoenae cerevisiae dirumpuntur!"

structor, -oris (m): Bauarbeiter / lagoena, -ae (f): Flasche / cerevisia, -ae (f): Bier

Medicus professori academico palaeophilologo legumina comedenda praescribit. Professor intentus: "Non bene comperi, quod dixisti, mi medice: Legumina utrum ante cenam an post cenam sumam?"

professor academicus, -oris -i (m): (Universitäts)professor / palaeophilologus, -i (m): Altphilologe

Vir quidam auribus combustis in valetudinarium transportatur. Medicus ex illo quaerit: "Quo modo hoc factum est?" – Vir: "Vestimenta politurus eram, cum ex improvise telephorum tinniret. Tunc ferrum politorium pro telephoni auscultabulo auri impressi." Ad quae medicus: "Sed cur, hercle, utraque auris combusta est?" – "Hocne interrogas, domine medice? Mihi ad valetudinarium telephorandum erat."

valetudinarium, -i (n): Spital, Krankenhaus / polire: glätten, bügeln / telephorum, -i (n): Telephon / tinnire: klingeln, läuten / ferrum politorium, -i -i (n): Bügeleisen / auscultabulum, -i (n): Hörer (beim Telephon) / telephorare: telephonieren

Hannulus et Claudia ab avia flagitant: "Lude, quaesumus, nobiscum! 'Hortum zoologicum' ludimus, nos autem simiarum partes agimus." Avia miratur: "Sed quales partes equidem agam?" – "Facile dictu: Tu visitatrix es et simias socolata et dulciolis nutris!"

hortus zoologicus, -i -i (m): Zoo / socolata, -ae (f): Schokolade / dulciolum, -i (n): Bonbon

Monica, puellula quattuor annorum, sola in oeco ludit insonante radiophono. Hora quinta locutor radiophonicus: "Dominae dominique maxime honorabiles, nunc audietis nuntios." Gaudio correpta Monica in culinam properat et matri dicit: "Matercula, matercula, vir radiophonicus me dominam maxime honorabilem vocavit!"

oecus, -i (m): Wohnzimmer / radiophonum, -i (n): Radio(apparat)

Ophthalmologus viro, quem bene et funditus perscrutatus est: "Excusatum velim me habeas, domine, sed quo modo solus viam huc invenisti?"

ophthalmologus, -i (m): Augenarzt

Domina ancillae: "Tapete mihi satis sordidum esse videtur!" – Tunc ancilla: "Recte quidem, domina. Tempus est, ut aspiratrum demonstrandum nobis arcessamus."

tapete, -is (n): Teppich / aspiratrum, -i (n): Staubsauger

Petrulus cum matre per hortum zoologicum ambulans ex improvise clamat: "Ecce, matercula, avis mira! Qualis est?" – "Ciconia est, Petrule." Tunc puer subridens: "Utrum me recognoscit an non?"

hortus zoologicus, -i -i (m): Zoo / ciconia, -ae (f): Storch

Martin Meier

De caelum incolentibus

Variatio I

Petrus, caeli ianitor, portam caelestem aperit et novum advenientem accipit. Eum circumducit et hortos caelestes ei monstrat. Cum murum magnum praetereunt, Petrus: "Post hunc murum Catholici sunt", parva voce explicat. - "Aha", advena stupens dicit digitoque alium murum monstrans interrogat: "Et quis ibi est?" – "Psst! Ne magna voce loquaris, quaeso", Petrus ait et susurrat: "Ibi Hinduismi cultores sunt." Advena curiosus circumspiciens: "Et quid", inquit, "post illum murum a dextra parte est?" Iterum Petrus digitum ad os movens silere eum monet et susurrat: "Ibi Muslimi sunt." Tum advena miratus: "Sed qua de causa nos tam suppressa voce loqui oportet?" Petrus: "Omnes putant se solos hic in caelo esse."

Variatio II

Iudaeus in caelum venit. Petrus eum salvare iubens accepit et cum eo per loca caelestia ambulat. Advenam huc et illuc ducit, hoc et illud explicat et, cum subito ad murum altum veniunt, eum rogat, ut silentium teneat. "Qua de causa silere oportet?" Iudaeus parva voce interrogat. Petrus respondet: "Post hunc murum Christiani sunt, qui putant se solos hic esse."

Variatio III

Protestans in caelum venit. Petrus eum in conclave numero 49 mittit et rogat, ut silens conclave numero 23 praetereat. Paulo post Baptista advenit, quem Petrus in conclave numero 56 ire iubet rogans, ut silens conclave numero 23 praetereat.

Tum Iudaeus venit, qui eadem monitione facta in conclave numero 99 a Petro mittitur. Iudaeus miratus interrogat, cur conclave numero 23 silentio praetereat. Petrus: "Ibi Catholici sunt, qui putant se solos hic esse."

Daniel Weissmann

Solutio ludi „in usu medico“

Saepe ea, quae sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore.

SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 4/2000:

1	V	E	N	U	S
2	E	N	A	R	E
3	N	A	V	E	S
4	U	R	E	N	T
5	S	E	S	T	I

1. dea Romana
2. per aquam evadere
3. vehicula ad mare pervehendum apta
4. igni delebunt
5. patria virginis cuiusdam a Leandro amatae (Gen.)

Daniel Weissmann

ANNI SACRI LAUS

SACER ANNUS SALUTETUR, NOBIS QUI SALUTI IAM
EST A DOMINO DONATUS, FERRET UT LAETITIAM,
FIDEM OMNIBUS, QUI COLUNT VERAM ET CATHOLICAM.

SOL CUM AD OCCASUM VERSUS DIEM CITO BREVIAT,
DOMINI ADVENTUM CLARUM CHRISTO FIDUS CELEBRAT
NEC PERPETUUM ADVENTUM EIUS NON COMMEMORAT.

ECCE ADEST, SOL CUM VICIT, DOMINI NATIVITAS!
GLORIAM CANTARI AUDI, FELIX CHRISTIANITAS!
NATUS PUER, A QUO VICTA PECCATORUM VANITAS!

IAM ACCEDUNT ADORATUM, ASTRA QUI SPECTAVERANT,
TUS ET MYRRHAM ATQUE AURUM PUERO ALLATITANT,
GENTIBUS QUEM ESSE NATUM OMNIBUS SIGNIFICANT.

FUGE, PUER ADORANDE, CUIPIAT NEFARIUS
REX CUM TE NECARE STATIM POTENS ATQUE INVIDUS,
SED IN TEMPLUM ANTE FERTOR MUNDO TOTI LUCIDUS!

HIEME TUNC RECEDENTE CANIS CINIS SPARGITUR,
QUO MORTALIS UNUSQUISQUE NOSTRUM HOMO DICITUR
ET, SUPERBUS NE VIVAT, CAELI REMINISCITUR.

QUO DISPERSO QUADRAGINTA DIES IAM INCIPIUNT,
QUIBUS CIBO ABSTINENTES NIMIO EFFUGIUNT
OPUM VINCLA ET FIDELES DONANT NEQUE CAPIUNT.

NAMQUE DOMINI EXEMPLUM IMITANTUR ANNUI,
IN DESERTUM QUI DUCENDUS FUERAT SPIRITUI
SANCTO, PRAEPARENT UT PASCHAE CORDA SACRAE STRENUI.

DIRUM TEMPUS PASSIONIS VERIS LUMEN SPLENDIDUM
MUTAT AGNI IN TRIUMPHUM, PRIMUM QUI EFFULSIT TUM,
PALMAS ASINO CUM DARET VULGUS VECTO VARIUM.

PASCHALEM AD CONVOCATIS CENAM TUNC DISCIPULIS
FREGIT PANEM, DEDIT VINUM SUI IESUS FILIIS
DONA MUTANS IN SE IPSUM FIDEI MYSTERIIS.

"SICUT EGO VOS ET SEMPER FACITE SIMILIA,
UT SALUTI SINT AMORIS MEI MUNERA
ATQUE OMNIBUS VICTURIS NUNC ET IN PERPETUA."

HISQUE DICTIS, UT SALVARET MUNDUM MALO MISERUM,
LUDO, PLAGIS, CRUCIS NECI HAUD INVITUM DEDITUM
REDEMPTOREM IMMOLAVIT VULGUS STULTUM NESCIUM.

ALTA CRUX TE VENEREMUR DIE ISTO VENERIS,
IESUS VENEREM HUMANI QUO MONSTRAVIT GENERIS,
RITE QUO EX EO DIE SALUS MUNDO CREDERIS.

DOMINUM SED RETINERE DIRA MORS NON POTUIT,
QUAMVIS CUSTODIRENT QUIDAM, TUMULUM APERUIT
ET DIVINAM RESURGENDO VITAM TUM RESTITUIT.

IDEO CANTATE, GENTES, DOMINO ALLELUIA,
QUI PER MORTEM SUPERAVIT SUA MORTEM GLORIA,
TOTUS GAUDIA EXTOLLAT ORBIS ET PASCHALIA!

QUADRAGINTA RURSUS DIES DOCUIT DISCIPULOS,
DONEC, NE MAERERENT, FATUS VADERET AD SUPEROS,
POSTquam MISIT, QUI SALVARENT HOMINES, APOSTOLOS.

QUI ANGSTIIS COMPRESSI EXSPECTABANT SPIRITUM,
QUEM PROMISERAT MISSURUM SE REDEMPTOR HOMINUM.

TANDEM DIE PENTECOSTES AUDIVERUNT STREPITUM,
FLAMMIS ATQUE TEMPESTATE PNEUMA IMPLET ANIMAS,
FORTIORES REDDIT MENTES ANTEA PERTERRITAS.
ABHINC NUNTIUS VULGATUR TERRAS PER NOVISSIMAS.

PATRI LAUS, QUI NOS CREAVIT, QUI REDEMIT, FILIO.
LAUS SPIRITUI, QUI, SANCTO, NOBIS EST SOLACIO.
TRINITATI MIRAE DIVAE SEMPER IUBILATIO!

AE AESTATEM IAM CONVERSI AGRI PASSIM FLORITANT
HOMINESQUE DEO GRATI CORPUS CHRISTI CELEBRANT,
VILI QUOD SUB PANNIS FORMA SEGETI ILLATITANT.

SED ET IESU COR LAUDANDI POSTEA SUNT CUPIDI,
CUM E CORDE EMANARIT, QUIDQUID BENEFICII
CREATURIS DAT CREATOR MANU MITI MAXIMI.

SOL DUM FERRET, REQUIESCUNT EXTRAORDIANRIA.
EO MAGIS CELEBRATUR DIES TUNC DOMINICA,
SUPERATI ET VICTORIS DOMINI MEMORIA.

ALTIS FOLIA IAM CADUNT PICTA DE ARBORIBUS,
DESIDERIO CALORIS CAPTUS SILET ANIMUS.
AD SEPULCRA PIE ORANS ROGAT CAELITUS.

SANCTI PRIMUM NUNC COLUNTUR, PUGNAM QUI DURISSIMAM
DEO FISI PUGNAVERE ET CAELESTEM GLORIAM
IAM PARTICIPANT PARATI AD MITTENDAM OPERAM.

CETERORUM MORTUORUM NEQUE OBLIVISCIMUR,
QUIBUS POENAS MALE FACTI DANTIBUS PRECABIMUR,
PRECIBUS ET NOS EORUM OLIM CONSERVABIMUR.

CLAUDIT ANNU REX CAELESTIS CHRISTUS SALVATORIUM,
QUI EST HOMINUM ET RERUM FINIS ET PRINCIPIUM.
REGUM REGI DAT HONOREM COPIA FIDELIUM.

DIES RESTANT NON DESCRIPTI FESTI ET DEIPARAE
BEATORUM ET MULTORUM, QUORUM SANCTAE ANIMAE
IAM POTITAE SUNT SALUTIS MAGNAE ET PERPETUAE.

VALE, ANNE, QUO SALVAMUR, DEI FACTA MEMORANS!
SEQUITUR IAM NOVUS ORDO IDEM RURSUS INCOHANS
ET A DOMINI ADVENTU USQUE REGNUM ITERANS.

Martin Meier

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist.)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

PP/Journal

4702 Oensingen


5+6/2000

IDIBVS DECEMBRIBVS MM

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



TOMVS 23

FASC. 136